



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

**Parisiis, 1644**

Concilivm Lvgdvnense, Qvo Inhibetvr Principibvs Ne sacerdotibus  
vectigalia imponant, habitum anno Domini MCCXCVII. tempore Bonifacii  
papae VIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15974**

gentem deleuit. Et postea quemdam nomine Anselmum regem Scotiae praefecit: & cum postea idem rex Arthurus apud ciuitatem Legionum festum faceret celeberrimum, interfuerunt ibi omnes reges sibi subiecti, inter quos Anselmus rex Scotiae, seruitium pro regno Scotiae exhibens debitum, gladium regis Arthuri detulit ante ipsum, & successiue omnes reges Scotiae omnibus regibus Britonum fuerunt subiecti; succedentibus autem regibus Angliae in praedicta insula, & ipsius monarchiam & dominium obtinentibus subsequenter.

•••••  
 \* CONCILIVM LVGDVNENSE, ANNO  
CXXXVII  
 QVO INHIBETVR PRINCIPIBVS NE  
 sacerdotibus vectigalia imponant, habitum anno Do-  
 mini MCCXC VII. tempore Bonifacii papae VIII.

## NOTA.

\* Concilium.] Hae Synodus, inquit Genebrardus libro quarto chronici, celebrata fuit praeside Bonifacio pontifice: qui animaduertens quotidie principes noua vectigalia sacerdotibus imponere, interdum sine iusta causa, interdixit in eo Concilio ne posthac id facerent, neue sacerdotes iniussu Romani pontificis illa imposita conferrent. Hae ex Polydoro libro decimosextimo Anglicae historiae Genebrardus.

•••••  
 \* CONCILIVM ROMANVM, ANNO  
CXXXVIII  
 QVO PHILIPPVS REX FRANCORVM  
 excommunicatur, habitum anno Domini  
 MCCCII. tempore Bonifacii papae VIII.

## NOTA.

\* Concilium.] Occasionem, causam & acta habitum Concilii Conradus Vecerius in vita Henrici septimi imperatoris his verbis describit: Anno a Christo Salvatore genito millesimo trecentesimo secundo, Francorum rex Philippus, cognomento Pulcher, graue aduersum pontificem maximum Bonifacium octauum conceperat odium, tum Gibellina factionis studiosiorem existimans, tum quod fidem temere prauaricatum contenderet. Promississe enim sibi paucis ante annis, cum alia quadam, tum de summa Romani imperii potestate ab Germanis ad Gallos traducenda, atque adeo Carolum fratrem diserte fuisse in conuentis nominatum, cui id decus primum assignaretur. Hae videlicet pollicita nunc cecidisse ad